

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In die festo visitationis Mariae

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](#)

nec dubium est, quin æque absconas opiniones de Christo protulissent, ac alii homines, doctrinæ Christi rudes. Sic & tu nunquam dextrè respondebis, nisi antè sufficienter in articulis fidei instructus fueris.

Ne proinde pigeat te, conciones sacras sedulò invisiere, devotè auscultare, & domi quoque sacram Scripturam evolvere, & in illa scrutari. Veniet aliquando, crede mihi, tempus, ubi in examen vocaberis, quod fiet aut in mortis agone, vel certè in extremo judicio. Disce igitur in temporibus tūm turpiter stes forte.

III. *Bona fama studie.* Christus interroget discipulos suos: Quem me dicunt, homines esse, Filium hominis? Quo ipso nos instruit, ne rumorem vulgi & publicam famam planè contemnamus, sed perscrutemur, quæ de nobis sit hominum opinio. Bona enim conscientia nobis est opus, propter nos ipsos, bona fama propter proximum, ut Veteres dixerunt. Qui hominum famam susque deque habent, eos gentiles quoque pro homine futili nul-

liusque pretii habuere. Melius est nomen bonum, quam unguenta preciosa, Eccles. 7. v.3. Hinc Sitacides c. 42. v.15.16.

Si verò famæ integritate gaudere vis, vide ut genuinus Christianus, & filius Dei vivi sis: Vive proinde ut Christianum decet, insiste vestigiis Christi, quæ in vita & passione, in doctrina & opere tibi reliquit, exhibe te talem, qualem pium & obsequenter filium Dei decet: hoc modò non tantùm in hoc mundo coram hominibus bonam famam consequeris: sed & nomen tuum post mortem perennabit. Die enim novissimo judex vivorum & mortuorum, in consilio SS. Trinitatis, coram Angelis, Archangelis, omnibusque electis, imò Diabolis quoque & damnatis, sed in horum confusione & ignominiam, nomen tuum amplissimis laudibus ornabit, teque in gaudium Domini tui introducer, ubi nominis tui memoria nunquam obliterabitur, siquidem in libro vite scriptum permanebit in æternum.

Fiat id per Christum, Dominum & Servatorem nostrum, Amen.

## IN DIE FESTO VISITATIONIS MARIÆ.

*Evangelium Luc. i. v.39. -- 56.*

### EXORDIUM.

**S**piritualis illa Ecclesiæ Sponsa, de Sponso suo ait: Ecce, Dilectus meus venit saliens in montibus, transiliens colles, Cant. 2. v.8.

In quibus verbis Ecclesia Christum compellat, est enim amicus sive Dilectus

ejus, aut naturaliter, quia humanam natu-  
ram, carnem & sanguinem ille adsumit,  
quo respectu nos omnes Christi consan-  
guinei, ipse autem cognatus noster factus  
est, unde etiam Goël noster aliquoties in  
Scriptura appellatur, Genes. 48. vers. 16.

9999

Esa.

Esa. 59. v. 20. Hiob. 19. v. 25. hoc verò non  
men tam arctam consanguinitatem indi-  
cat, quā quis obstrictus est proximi san-  
guinem & necem vindicare, ut constat ex  
Num. 35. v. 19. sicut & hāc ipsa ex causa,  
Servator noster redemit nos, de manu in-  
fernali latronum, & quia nos saucieaver-  
ant, Luc. 10. v. 30. ultius est nosmet, ex-  
spolians principatus & potestates, traduxit  
confidenter palam, triumphans illos in  
seipso, Col. 2. v. 15.

Aut Christus Ecclesiae suæ Dilectus est  
spiritualiter, ratione spiritualis communi-  
onis, quam per unionem mysticam, quæ per  
verbum & Sacra menta fit, nobiscum ha-  
bet, quod collineant verba Petri, dicentis:  
quod per cognitionem Christi, quæ ex  
verbo & Sacramentis oritur, divinæ con-  
sortes naturæ efficiamur, 2. Petr. 1. v. 4.  
De hoc Dilecto ait Ecclesia: Ecce, venit sa-  
liens in montibus, transiliens colles: quo in-  
nuitur, quod Ecclesiae sua subvenire festi-  
net, eamque ex omnibus tribulationibus  
eripiat, ut promisit Psal. 91. v. 14. 15.

Hæc verba quoque non inconcinnè in  
hodiernum diem festum applicari possunt,  
quo Maria abiit in montana ad cognatam  
suam Elisabetham. Maria enim jam tūm  
Servatorem mundi, in utero suo obum-  
bratione Spiritus sancti conceperat, ut  
Gabriel ipsi prædixerat, Luc. 1. v. 35. hunc  
super montana ferebat sub corde materno,  
eius adventum Johannes saltu fideli gra-  
tulatur, conclusus adhuc in utero materno  
Elisabethæ, ut prælecta Pericope indicat.  
Verè tūm Elisabetha dicere potuit: Ecce,  
Dilectus noster venit, saliens in montibus,  
transiliens colles.

Nos pro Instituti ratione videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cauelam.

J.J.

### Exegesis.

Quemadmodum Sol, quando ortus  
est, non potest abstritus manere, sed  
cui libet se conspicendum exhibet, radios  
suos de se spargit, & tanto splendore reful-  
ger, ut totum aliquod hæmispherium illu-  
minet, nec est, qui se abscondat à calore  
ejus, Psal. 19. v. 7. Eodem modo compa-  
ratum est cum Christo, qui est Sol iustitiae,  
Malach. 4. v. 2. lux mundi, quæ illuminat  
omnem hominem, Joh. 1. v. 9. oriens ex alto,  
Luc. 1. v. 78 postquam enim in utero ca-  
stissimæ Virginis Mariæ, post præceden-  
tem annunciationem Gabrielis per san-  
ctissimam suam conceptionem ortus erat,  
ecce! velut Sol non amplius abscondi pot-  
est, sed altius montana transcendent, ut Eli-  
sabeth, & Johannes, in utero materno  
adhuc conclusus, super adventu & ortu  
ejus exultent, & quasi spiritualiter cale-  
scant à divino ejus gratiæ calore: Johanes  
etenim nondum natus, saltu hunc ori-  
entem gratiæ Solem salutat. Mater quo-  
que ejus Elisabetha, per Spiritum sanctum,  
tanquam radium Solis iustitiae, Sap. 7.  
v. 25. fovebatur, ut repleretur Spiritu  
sancto. Idem hic iustitiae Sol Christus,  
in B. matre Mariâ peculiarem fidei calo-  
rem accedit, ut ex singulari animæ exal-  
tatione præclarum suum Magnificat inso-  
net, Deumque pro gratiâ & beneficiis suis  
laudet & celebret.

Querela respicit

I.PA-

I. Papisticam Mariæ Deificationem, quæ ex institutione hujus festi apparet, utpote quod anno Christi 1441, in Concilio Basiliensi sub Eugenio Pontifice, in honorem B. Mariæ Virginis institutum est, quam invocandam statuit, ut, sicut olim pedibus suis montes conculcaverat: ita Turcam viribus suis illa conculceret, qui eo tempore magno successu contrà Christianos bella gerebat. Quid hoc aliud est, quam Deam & omnipotentem adjutricem Mariam constituere? Qui enim homini tribuit, quod omnipotentia divinæ tantum competit, ex illo Deum facit. Sic enim Jacob: Num pro Deo ego sum, qui privavit te fructu ventris tui? Gen. 30. v. 2. Atqui in prædicto Concilio à Maria sollicitatur ejusmodi res, quæ in Dei omnipotentia versatur, videlicet liberatio de manu hostium. Hinc ergo sequitur quod Dea constituantur in Papatu. Deus enim solus est, qui dat salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos, Luc. 1. v. 71. Ipse solus, in quo aggredi exercitum, & in quo transgredi murum valemus, Ps. 18. v. 30. Auxilium nostrum à Domino, qui fecit cœlum & terram, Ps. 121. v. 2.

Originem Deificationis Mariæ reperimus Jerem. 44. v. 16. ubi mulieres Judaicæ thymiana adoleverunt Melechet cœli, & libarunt ei libamina, quam idololatriam tanto fervore propugnarunt, ut Jeremiæ contradixerint his verbis: Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiems ex te &c. Quid per hanc Melechet cœli intellexerint, Solem, Lunam aut Venerem, non certò constat. Vulgatus Interpres reddidit Reginam cœli, quæ, ut probabile est, in formâ mulieris

Deo, æterno cœli Regi, velut Reginam adjuncta fuit.

Licet autem Jeremias per severas suas conciones execrandam hanc idolatriam tandem aboleverit: attramen Satanæ supremus ille Hæresiarcha, eandem renovavit, siquidem in Arabiâ tempore Epiphaniæ mulieres inventæ, quæ ad exemplum mulierum Judaicarum, Mariam tanquam Reginam cœli veneratæ, ei honorem soli Deo debitum, obtulerunt. Imprimis in sellâ quadrata puro linteo opera, statis temporibus panem posuerunt, & in nomine B. Mariæ sacrificarunt, posteà verò panem illum, comedenterunt.

Et quamvis Epiphanius magno zelo idololatriam hanc refellerit, & suppressebit, attamen ea in Papatu rursus emersit, siquidem Jacobus de Voragine palam scripsit: Quod vanæ mulieres dixerunt de Lunâ, nos exponamus de ista Reginâ Jerem. 44. Debemus Reginæ nostræ sacrificare corpora nostra per mortificationem, & libare ei corda liquida, per quandam lacrymarum compassionem, & offerre sibi placentas, h. e. conscientias mundas &c.

Trahit itaque hæc idolatria originem non à Deo, sed à superstitionis mulieribus Judaicis, quod ipsi B. Mariæ improbat, imprimis quod hodierno die auxilium ejus contrà Turcas imploratur, quod soli Deo unicè competit, juxta illud: Invoca me, in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabim me, Psal. 50. v. 15.

II. Calamitatis gravidarum considerationem, cui juxta divinam legem subiectæ esse coguntur, Gen. 3. v. 16. Hinc quando mulieres fructu ventris à Deo benedicuntur,

plerumque in principio magnas molestias sentiunt, ut experientia probat. Et licet Maria magnâ alacritate novendecim, sive ut Gerson supputat, viginti quatuor milia super montana iter facit, quia sine peccato conceperat, & portabat tale onus, à quo ipsa portabatur, nec eiusmodi molestias, ut aliæ mulieres sensit: Similiter Elisabetha saltu Johannis in utero non incommodata est, siquidem erat motus extraordinarius, & non nisi divinitus factus, unde Ambrosius: *Hac exultatio facta est divinitus in infante, non humanitus ab infante.*

Attamen, si quod modo ordinario & naturali fieri amat, dicere fas est, non sine magna molestia esse solent gravidæ, non modò in partu, ubi sœpè vita & mors concertant, & mors obtinet, exemplo Rachel, Gen.35.v.18. sed & ante partum, ubi varia accidentia & dolores illis obveniunt, ut in Rebeccâ apparet, Gen.25.v.22.

Hæc omnia à peccato proveniunt, nisi hoc per mulierem introductum fuisset, Deus procurasset, ut factum sine dolore & tulisset, & peperisset: At postquam Eva cum filiabus suis peccavir, omnes gravidæ multis doloribus subiectæ sunt, ut sœpè genas lacrymis rident, querentes: Iccircò ego plorans, & oculus meus deducens aquas; quia longè factus est à me consolator, recreans animam meam, Thren.1.v.16.

Interea Chistianæ matronæ prædictas molestias non pro iræ divinae indicio reputant, sed pro paternâ castigatione, siquidem Deum diligentibus omnia in bonum cooperabuntur, Rom.8.v.28. Dolores itaque antè, in, & post partum sexui foemineo inserviant, contrâ fædam superbiam, cui

ille maximè deditus est, ut appareat in Evâ, quæ quia Deo assimulari cupiebat, contrâ Dei interdictum delinquebat, Gen.3.v.6. præterea & in externo cultu superbiam suam produnt, in plicaturâ capillorum, circumdatione auri & indumenti, 1. Petr.3.v.3. Verùm in recordatione dolorum mulierium, revocent sibi ad animum verba Siracidis: *Quid superbit terra & cinis?* Sir.10.v.9. Sic desistent à peccatis, 1. Petr. 4.v.1. Inserviunt quoque iisdem ad probationem patientia & pietatis, quando in illis fiduciam suam in Deum non abjiciunt, sed dicunt: Dominus veniens veniet, & non tardabit, Hab.2.v.3. siquidem novit suos è calamitatibus eripere.

III. *Languidam in pietatis viâ festinationem.* Maria abiit in montana *μετὰ σπουδῆς*, cum festinatione. Unde discimus, quod in viis Domini non consistere, sed cum alacritate progredi debeamus, si bravium accipere velimus, 1. Cor.9.v.24. Nemo enim mittens manum suam ad aratum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei, Luc.9.v.ult. Verùm multi consistunt, nec procedunt, sed respiciunt ut uxor Lothi, quæ versa est in statuam salis, Gen.19.v.26.

De Athlantâ virgine memoratur, quod nō modò formosissima, sed & celeris pedibus fuerit, ut nemo cui sumus ejus antevertere potuerit. Pulchritudo autem ejus incitavit juvenem, ut cursu cum ipsa contenturum se offerret, hâc lege, ut si antevertet eam, ipsa ejus esset. Virgo conditione accepit, nō habuisse rata, ut quis ipsi in currendo palmarum præriperet. Verùm juvenis hanc dolum excogitavit, assumtisq; tribus pomis aureis, illa in currendo abjiciebat, quæ cum Athlanta tolleret, longè ipsi antecurrebat.

Quan-

Quando adhuc hodiè ad destinatum scopum persequimur, ad bravium supernæ voationis in Christo Jesu : Satanus poma aurea voluptatis projicit, ut illis infestati, in cursu & alacritate nostra retrahamur :

1. *Pomum copia*, ut nos in montem excelsum abducat, ostendens nobis omnia Regna mundi & gloriam eorum, sicut Christo Servatori contigit, Matth. 4.v.8. Natura quippe terrenis adeò capimus, ut de spectis cœlestibus obrizo dicamus : Fiducia mea, Job. 31. v. 24. hoc pomo remoratus est Achan, Jos. 7.v.21. item Judas Pro ditorem, Matth. 26.v.26.

2. *Pomum gloriae*. Hoc pomo multi capiuntur, ut cogitent cum Nebucadnezare: in cœlum condescendam, super astra Dei exaltabo solium meum, Esa. 14. v. 14. Hoc pomum objecit Herodius, Act. 12. v. 22.

3. *Pomum luxuria* : quo ipso multa millia pellicit, ut cum divite Epulone quotidie splendide epulentur, deinde ne guttulâ aquæ potiri queant, qua linguam suam refrigerent, Luc. 16. v. 24.

Ecce! hæc tria poma Dæmon infernalis objicit nobis, multisque cursum sistit : Sed quilibet festinanter currat, ne serius veniat, & tempus gratiae prætermittat, ut virgines fatuæ. Alias experietur, quod in proverbio dicimus : Tardè venientes, malè sedentes, nempè in sellâ fervente, in stagno ardente sulphure & igne, Apoc. 21, v. 8. Festinate verò & currite, ut comprehendatis bravium, 1. Cor. 9. vers. 24. attin gentes patriam, ubi πολιτευα ve strum est, Philipp. 3. vers. 20.

### De Secundo.

**S**equitur Medela, quæ fluit  
I. Ex gratioſa Spiritus sancti in utero  
matris praesentia, de qua Elisabetha testa  
tur, inquiens : quod ad salutationem Ma  
riæ, infans in utero suo præ gaudio exul  
taverit. Hæc exultatio non fuit motus  
naturalis, sed supernaturalis ab ipso Spi  
ritu sancto profectus, sicut Gabriel Arch  
Angelus ad Zachariam dixerat : quod  
Spiritu sancto replebitur adhuc, ex utero  
matris suæ, Luc. 1. vers. 15. Unde Am  
brosius præclarè ait : *Vocem prior Elisab  
etha audivit, sed Iohannes prior gratiam  
sensit.*

De Jeremia dicit Deus : Priusquam  
formarem te in utero, novi te, Jer. 1. v. 5. Et  
Paulus de seipso asserit : quod segregaverit  
se Dominus ex utero matris suæ, & voca  
verit per gratiam suam, Gal. 1. v. 15. Ve  
rum Iohannes hanc prærogativam præ o  
mnibus obtinet, quod non modo, sicut  
Jeremias & Paulus ad munus Propheti  
cum & Apostolicum, ad officium Bapti  
stæ & Præcursoris Messiae in utero matris  
destinatus & vocatus : sed & Spiritu san  
cto extraordinarie in eo repletus fuerit.

Colligimus inde, licet infantes in utero  
matris rationis usu destituantur, tamen  
non obstat, quo minus Spiritus sanctus  
peculiari ratione fidem in iis accendere  
possit. Imò, quia ratione nondum uti pos  
sunt, ideo Spiritus sanctus fidem in ipsis  
facilius accendere potest, quæ est rerum  
non apparentium, Ebr. 11. v. 1. siquidem ex  
ore infantium & lactentium Deus sibi lau  
dem perficit, Psal. 8. v. 3.

999 3

Quod

Quod consolationi esse potest parentibus in eo casu, ubi quandoque infantes in utero materno, in partu, antequam Baptismo tingantur, expirant: Quia enim & vita & mors à Deo sunt, Sir. II. v. 14. Deus autem non vult ullum perire, 2. Petr. 3. v. 9. certi esse possumus, tales infantes non damnari, siquidem Christus ipse ait: Non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cœlis est, ut pereat unus de pusillis istis, Matth. 18. v. 14. Unde & David in morte filio ante circumcisioem occubentis, salutare hoc solatium attripuit: Quamvis ille non revertatur ad se, tamen se vasurum ad eum, 2. Sam. 12. v. 23. Talis enim sine culpa suâ baptismò privati, & nondum nati infantes, à fœdere Dei minus excludendi sunt, siquidem Deus non modo noster, sed & seminis nostri Deus futurus est, Genes. 17. v. 7.

II. Ex Spiritu sancti in sexu fœmineo efficiuntia. In prælectâ Pericope expresse memoratur, quod repleta sit Spiritu sancto Elisabeth, & ex animo lætata de mysterio incarnationis æterni Filii Dei. Ex quo consequitur, piæ mulierculas & que ac viros tempora Spiritus sancti esse posse, in quibus habitare, & gratiam suam exercere ille velit, sicut hoc ipsum probant exempla, extra hoc, mulieris Cananeæ, Matth. 15. v. 25. hæmorrhousæ, Matth. 9. v. 22. item mulierculæ illius, quæ exclamavit in populo: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti, Luc. 11. v. 27. nec non matronarum piarum, manè ad sepulchrum Christi proficiscentium ad ungendum corpus ejus, Marc. 16. v. 1. Quin & exempla prostant in Hist. Eccles. quod & fœminæ & virginis propter Evangelium dira-

supplicia pertulerint, & constantes in mortem usque perseveraverint, id quod virtus Spiritus sancti præstítit, qui in illis, tanquam vasculis infirmioribus, 1. Petr. 3. v. 7. virtute sua earum infirmitatem perfecit, 2. Cor. 12. v. 9.

Agnesa castissima illa virgo, plena Spiritus sancti erat, cum ad mortem abduceretur; & quia genas ejus rubor tinxerat, catifex querrebat ex illa, an ebria esset? Cui respondebat: non temulenta sum, sed sanguis Christi purpuravit genas meas.

Hoc solatio fulciat se sexus fœmineus, adversus perulantissimos sycophantas qui illum convitiis proscindere & contumeliose traducere non erubescunt. Non minus tempora Spiritus sancti vos estis ac viri, siquidem non modo Zacharias sed & uxor ejus Elisabetha, Spiritu sancto repleta est. Christus enim non pro mari bus duntaxat, sed & pro fœmellis sanguinem suum profudit, quod præfiguratum est per B. Mariam Virginem & Johannem Evangelistam, qui sub cruce Christi stantes, totum quasi genus humanum representarunt, Maria mulieres, & Johannes masculos. Utrumque enim sexum sanctificavit Christus sanguine suo. Hinc apologiam Christus edidit pro muliercula, corpus suum unguento pretioso inungente, Matth. 26. v. 13. & consolatus est mulieres mortem suam lacrymis prosequentes, Luc. 23. v. 28. Quæ clarè indicant, quod piæ quoque mulierculas sibi apprimè commendatas habeat, quibus etiam primitus resurrectionem suam manifestare voluit, Marc. 16. v. 9.

Hinc elucescit: Non esse discriminem apud Deum, inter masculum & fœminam, Gal.

Gal. 3. v. 28. & licet alias illæ sint valcula infirma, attamen vi dictorum, sunt habitacula Spiritus sancti, & cohæredes gratiæ vitæ, 1. Petr. 3. v. 7. unde & vitam instituant, ut sanctas decet, sint modestæ, castæ, sobriae, domus euram habentes, benignæ, subditæ viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei, 1. Tim. 2. v. 9. Conf. Tit. 2. v. 5.

III. Ex singulari Dei beneficentia, quam exhibet

1. *Famelicos saturando.* Esurientes enim, canit Maria, impletuit bonis, & divites dimisit inanes. Hoc spiritualiter intelligendum, de iis, qui justitiam esuriunt & sitiunt, Matth. 5. vers. 6. Hos saturat cœlesti manna verbi salvifici, ut vitam habeant, & abundantius habeant, Joh. 10. v. 11. Qui vero inopiam suam non agnoscunt, dicentes: dives sum, locupletatus, & nullius egeo, Apoc. 3. v. 17. inanes relinquunt: nam qui non habet, & quod putat se habere, auferetur ab eo, Luc. 8. v. 18.

2. *Lapsos sublevando.* Nam suscepit, inquit, Israel puerum suum, ut memor esset misericordiæ. In Græco est vox ἀποθάνεσθαι, quæ significat labanti succurrere, & manum porrigit. Tum temporis enim miseria Ecclesiæ Israeliticæ erat conditio, Pharisæi fermento doctrinæ suæ omnia corruerant, ut deficerent Sancti, Psal. 12. v. 2. & omnino videretur, quasi Deus oblitus esset Ecclesiæ suæ, & servum suum Israel planè abjecisset. Verum cum spes apud plerosque ferè decollavisset, ecce, Deus memor erat misericordiæ suæ, & sicut Pater, quando videt puerum casatum, utramque manum extendit, eundemque adjuvat: Ita suscepit puerum

suum Israel, & ulterius Ecclesiam suam contrâ omnes portas inferorum potenter defendet, Matth. 26. v. 18. Zach. 2. v. 58.

3. *Promissionem roborando.* Ita enim Maria concludit hymnum suum: Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini ejus in secula. Relicit his verbis ad promissionem Abrahæ factam, & postea omnibus seculis repetitam quod ex eorum semine Messias sit oriundus. Hanc dicit, impletam esse, in missione Filii, & conceptione ejusdem in utero virginali, nec dubium esse, quin quod incepit, ad finem perducturus sit. Celebrat proinde veritatem Dei, quem impossibile est mentiri, Ebr. 6. vers. 18. sed veritatem in æternum servat, Psalm. 146. vers. 6. servat, quod promisit, implet, quod prædixit. Esa. 46. v. 12.

Confide igitur promissionibus divinis, & noli abjecere animum, licet quandoque differantur, veniens veniet, & non tardabit, Hab. 2. v. 3. Dic cum Regio Psalte: Tibi dixit cor meum: querite faciem meam: faciem tuam Domine, requiram, Psal. 27. v. 8. Id quod certissime faciet, juxta promissionem suam, Psalm. 91. v. 15. Conturbata sunt viscera ejus, miserans miserebitur tui, Jer. 31. v. 20.

Promissiones Dei sunt fortissima vincula, quibus constringitur a nobis, ne elabatur. Simson dirupit vincula & funes, quibus Philistini ipsum ligaverant, iisque expeditivit, se, Jud. 16. v. 9. Verum vincula divinarum promissionum, Deus ipsis divinae veritatis solvere non potest, sed ligatur & tenetur iisdem. Omnes enim promissiones Dei sunt in Christo Etiam, & Amen, 2. Cor. 1. v. 20.

De

## De Tertio.

**R**estat Cauela, quæ tribus absolvitur  
Regulis, ut sunt,

I. Humilitati stude. Hanc discemus à  
Maria, quæ animi humilitatem contesta-  
tur

1. Erga Deum, respectu cuius abjectam  
ancillam se vocat. Sic & nos humiliemur  
sub potenti manu Dei, ut nos exalteat in  
tempore visitationis, I. Petr. 5. v. 6.

Exemplo sit Abraham, Genef. 18. v. 27.  
David, 2. Sam. 7. v. 18. Paulus, I. Cor. 15. v.  
10. Hæc humilitas magnam exaltationem  
gignit, ut & Maria fatetur, inquiens, Deus  
exaltavit humiles. Quod B. Maria ipsa ex-  
perita est, quæ ex abjecta ancilla Seorón eva-  
xit, Luc. 1. v. 35. Esther, quæ ex derelictâ  
orphana in Reginam exaltata, Esther. 2. v.  
16. Quod ipsum & Moses, Joseph, Daniel,  
aliique probant.

Hæc consuetudo Dei est, qui quidem in  
altis habitat, & tamen humilia respicit in  
cello & in terra: erigit de pulvere in opem,  
& de stercore exaltat pauperem, ut collocet  
eum cum Principibus, cum Principi-  
bus populi sui, Psal. 113. v. 3, seqq. contrà  
verò dispergit superbos mente cordis sui,  
iterum Maria canit. Id quod Pharaon, Na-  
buchodonosor, Haman, Vasthi, aliique  
plures compererunt. Superbiam proinde,  
neque in tuo sensu, neque in tuo verbo do-  
minari permittas, in ipsa enim initium  
sumsit omnis perditio, Tob. 4. v. 14.

2. Erga proximum. Maria non modo è  
Regia stirpe orta erat, sed & Salvatorem  
mundi sub corde gerebat, nō ignara, quod  
Mater Messiae futura sit; non hinc cristas  
eigit, sed conjicit se in pedes, iter faciens ad

Elisabetham, quæ potius ad illam se con-  
ferre debuisset. Sic Maria in omnibus hu-  
militatem contestatur, adeò ut non vereat-  
tur Elisabethæ tres integros menses servi-  
re, & in re familiari operam suam commo-  
dare. Similiter & nos affecti simus, ut ho-  
nore invicem nos præveniamus, Rom. 12.  
v. 10. Christus ipse tanquam exemplar hu-  
militatis discipulorum pedes lavat, Joh. 13.  
v. 5. hinc invitat nos, inquiens: Dicite à  
me, quia misericordia sum & humili corde,  
Matth. 11. v. 29. Vestigia ejus legit Paulus,  
I. Cor. 15. v. 9. seqq. Eph. 3. v. 8. Observail-  
lud Sitacidis: Quanto magnus es, humilia-  
te in omnibus, & coram Deo invenies gra-  
tiam, Sir. 3. v. 20.

II. Pietati incumbe. Maria hæc nobis ex-  
emplum præbet, quando ad pietatem suam  
indicandam, præclaro hymno magnalia  
Dei celebrat, & ita pietatem contestatur,

1. Externè, dum os suum resolvit in lau-  
dem Dei, linguam movet, & laudem Dei  
extollere valde operosa est.

O Optimi! non concedite, ut illa sola  
canat: sed concinete, & labiis jubilantibus  
celebrate Deum, Pl. 63. v. 6. Inveniuntur,  
qui magis muti sunt, quam pisces, quando  
in Ecclesia Dei laudes Psalmis & hymnis  
celebrantur. Hi Spiritum Mariæ non ha-  
bent, quæ peculiari Zelo laudes Dei enarrat,  
nec confunditur in laude ipsius, Sir. 51.  
v. 29. Sic Spiritus sanctus otiosus esse non  
vult, sed negotiosus in Psalmis, & hymnis,  
& canticis spiritualibus, Eph. 5. v. 19. Psal.  
92. v. 2.

2. Internè. Neque enim saltē os ape-  
rit, sed & animam & spiritum, h. e. omnes  
animi nervos & sensus intendit, ut & ipsi  
laudem Dei concelebrent.

Idem

Idem nobis observandum, si Deo sacrificium gratum offerre velimus. Non enim veniet in conspectum ejus hypocrita, Job. 13.v.16. Quando igitur os canit & cor aliorum vagatur, Deo placere nequit. Homo videt ea, quae apparent, Dominus autem intuetur cor, 1.Sam.16.v.7. Dic ergo cum Davide: Benedic anima mea Domino, Psal. 103.v.1. hæc jucunda, decoraque laudatio, Psal 147.v.1.

III. Officiorum seminare. Hæc innuitur in prælecta Pericope, quando in calce Evangelii dicitur: Mansit autem Maria cum illâ, quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam.

Procul dubio per hoc tempus Elisabethæ ministriavit, & in œconomia ipsam fidelter adiuvit. Hinc conspicimus, quam laudabilis sit officiorum quâ alteri inservimus, siquidem hæc Maria propterea insinuauerit commendatur.

Hoc Christianissimus noster requirit, qui nos constringit, ut alter, alteri serviamus

ex virtute, quam administrat Deus, 1.Pet. 4.ver.11. sumus enim in vicem membra: Non potest oculus dicere manui: Operâ tuâ non indigo: aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii, 1. Cor. 12.v.21.

Christus ministrabat discipulis suis, lavando pedes eorum, Dominus servis, magister discipulis, nobis dans exemplum, ut quemadmodum ille fecit nobis, ita & nos faciamus, Joh.13.v.1.

Maximus exhibeat se, quasi minimus esset, in exaltatione Christianorum officiorum, exemplo primorum Christianorum, de quibus in Actis pluribus legitur. Hoc si fecerimus, nos Christi discipulos esse, demonstrabimus, Johan. 13. ver.53. & palam propterea die ultimo à Christo commendabimur, & introducemur in Regnum, paratum nobis ab exordio mundi, Matth. 25.v.4.

Quod nobis largiatur SS. Trinitas, Amen.

## IN DIE FESTO JACOBI MAJORIS APOSTOLI.

*Evangelium Matth. 20. v. 20. -- 23.*

E X O R D I U M.

**C**um Josepho nunciaretur, quod agrotaret pater suus, ille assulmis duobus filiis, Manasse & Ephraim, patrem suum invisit, procul dubio ut benediceret his duobus filiis: quod & Jacob impositione manuum suarum fecit, Gen. 48.v.1. seqq.

In prælecta Pericope duorum filiorum Zebedaii mater accedit Christum, cum per-

cepisset, quod brevi moriturus, & discipulis suis aliisque familiaribus valedicturus esset: rogans, ut sedere faciat filios suos duos unum ad dexteram suam, & unum ad sinistram in Regno suo, antequam discedat.

Verum quia petitio ejus iniqua erat, & illa ad alium scopum tendebat, quam Josephus cum duobus filiis suis, non impetrabat benedictionem à Christo, ut Jose-

phus

phus